Falecki Ioan. Christoph: Archipaedia cursus scientiae rationalis.

ARCHIPÆDIA.
CVRSVS
Scientiæ Rationalis.

Jn Almâ

ACADEMIA CRACOVIENSI,

Ex fundatione,

Perillustris olim & Admodum Rńdi D.

D. GABRIELIS WLADYSLAWSKI

Præpositi Varsauien: Scholastici Lanciciē. Canonici Culmensis, &c.

Confecta,

Et publicæ trutinæ.

In peruetustæ IAGELLONIANæ *Domus D. D. Theologorum Lect.*

A nobili studioso Ioanne Christophoro FALECKI, Subiecta & proposita.

Præsidente Excellentiss. D. ALBERTO DABROVVSKI, *Collega Minore. Cursus Wladislauiani professore,*

Anno Domini, 1641. Martij 4.

CRACOVIÆ.

In Officina Christophori Schedelij, S. R. M. Typogr.

In Arma Domus Illuſtriſsimæ.



Excelſam gentem, quæ inter ſupereminet omnes,
Empyreis, ſignat, digna vel acta, plagis, (to ;
Magnanimoſq; Viros, miſſos, Patriæ æthere ab al-
Fruſtra nec, id, ſurſùm, flumen ad aſtra petit.

Ioannes Caſimirus Koziebrodzki
Philoſ: & I.V. Auditor.

Illustriss. ac Magnifico Domino,

D. STANISLAO
Comiti in Wiśnicz
LVBOMIRSKI,
Palatino, Generali Cracouiensi, Spisśień. Zatorień. Nepołonicen. Dobczyceń. &c.
CAPITANEO.

Domino & Patrono longè amplissimo.

PEregrinus viator, quem longitudo itineris, asperitas viarum, difficultas laboriosi Cursus, æstuosâ & pulueruléntâ die confecti, ad grauem languescentis corporis defatigationem dederunt; nil maximè votis, ab imo pectore conceptis habendum exoptat, Illustriss. Domine: quàm si diuinitus in oblatum sibi fontem incidat: cuius refrigerio, membra penè iam emortua reficiat, linguam arescentem perfundat, os, spiritumq; anhelantem refocillet: sic vt tandem propositum, quod recepit expedien-

dum, commodiùs continuet. Neque ego temerè facio: aut quadam præcipiti audacia inductus, tuo conspectui Illustrissimo, me cum Archipædiâ Cursus scientiæ Rationalis offerendum duxi: nisi vt propensum debitæ obseruantiæ officium testificarer: imitatus præsertim carissimum Parentem meum, qui non perraro gloriatur, quod eum Tuæ beneuolentiæ inclytâ gratiâ (vt decet tantum, tamq; excelsi animi Heroem) per multa annorum transacta tẽpora, & semper fauentissimè complectaris. Quanquam illæ quoque rationes studium meum ad Te inflexerunt Illustrissime ac Magnifice Domine: vt vires intellectus languentes, non tam Cursu, quàm potius imbecillitate ingenij lassatas, Tui fluminis perquam Augusti & copiosi, exoptatissimâ refocillatione felissimè confirmes: quaterus ad vlterius negotium, quod intuendâ, & adorandâ Archipædiâ suscepi, fortior viribus, & viuacior promptâ mente progrediar. Sunc Tui fluminis eiusmodi excelsæ ac penè incredibiles virtutes, vt quique boni ingenue & beneuolentissimè fatentur: quibus id beatitatis, à rerum omnium infinito Moderatore tributum est, vt possint vitam, cuiusque optimi, ad quæuis præclara contendentis; non modò reficere, sed etiam dignè laudabiliterq; conseruare & amplificare. Gratum est nobis, atque adeò Mortalium vniuerso generi, quicunque suam salutem, Patriam, libertatem, amicos, templaque religionibus sanctissimis consecrata amant, commemorare tempus illud, quo Tui fluminis felicissimè inundantes Aquæ, non

modo

modò Scythicos ignes, ad vastitatem Podoliæ. Russiæ, Volhiniæ, inferendam effusos restrinxerunt: Sed etiam Tyranni Otthomanici, ardentem rabie, & furore cupiditatem, quâ incensus iam nos sibi omnes, veluti pabulum obiectum pollicebatur: ita oppreßerunt, vt ad hunc vsque diem, nihil perniciei, intra latibula suæ tyrannidis conclusus, audeat aut fumare, aut intentare. Verbo dicam, de Tuo amplissimo simulque fæcundißimo flumine, vbicunque vel minima gutta ceciderit: ibi confestim exoriantur Templa, Claustra, Religiones, Arces, Ciuitates, Liberalitas Magnanimitas, vis animi excelsa, Iustitia, Prudentia, Zelus & vindex defensio fidei Orthodoxæ; nec nõ fortis oppositus laterum & corporum pro pace, ac communi omnium populorum conseruandâ incolumitate. Itaque ego hæc studiosissimè animo reuoluens, prout sunt omnia singulari trutinâ, atque commemorabili recogitatione dignissimâ: haud profectò alibi, augustius patrocinium mihi, meæque Archipædiæ polliceri potui: nisi ad ripas, & flumina Tuæ eximiæ vberrimæque humanitatis: quàm quidem Archipædiam, meaque vniuersa studia, labores, conatus, lucubrationes, vel saltim sub vmbram Tuæ protectionis vt recipias vehementer oro & obsecro. Tu Illustrißime Domine, pensa non tam literarium munus, quod de suâ naturâ est perquam exile; quàm potius meam voluntatem, quæ se ab ineunte ætate, rectißimâ informatione Almæ Academiæ Cracouiensis, atque bonarum artium, vir-

tutumque cæterarum honestißimis disciplinis, habilem reddi curat; vt olim dignè tuis seruitijs, honori, & amplitudini inseruire poßit. Viue felix, diu, multùmque fortunatus, maximum decus patriæ, ac Reipublicæ singulare fulcrum & ornamentum. Datum ex Contubernio Garuasciano. Die 19 Febr. Anno 1641.

Illustrissimæ Amplitudinis Tuæ

Cliens & seruus humillimus

Ioannes Christophorus Falecki, Philos. & I. Vq. Auditor.

ARCHI-

ARCHIPÆDIÆ. THEORETICÆ DETERMINATIONES.

Ex Naturâ Logices.

1\. SCientiam Rationalem, quam facimus correctricem functionum nostræ potentiæ intellectiuæ, libenter dandam concedimus: cuius principatus tantò eminentior, quantò titulorum plurimorum copiâ, supra cæteras est excellentior. Vocatur à doctis Viris Organum. Ars Liberalis, Ars Triuialis, Sermocinalis, Rationalis. Ars Cognata. Ars Vniuersalis, Ars Artium, Scientia Scientiarum, Ianua Sciẽtiarum. Modus Sciendi. Ars Coniecturalis, &c.

2\. Placet tamen ex vsu Communi, præ-

ser-

ſertim antiquitatis Stoicæ vetuſtiſsimâ autoritate approbato, vt hæc ſcientia nominibus Dialectices & Logices. appelletur: quorum vtraq́; ſi naturam rei ſpectes, quam elucidant, pro eodem accipiuntur.

3. Logicæ diuiſiones, quas ex diuerſis reſpectibus ſortita eſt, hæ ſunt: diuiditur enim in Naturalem & Artificialem: in Docentem & vtentem: in Vniuerſalem & Particularem; in Inueniendi & Iudicandi: In nouam & veterem: in Analitycam, Sophiſticàm, & Dialecticam: in Regulatiuam primæ, ſecundæ, & tertiæ operationis Intellectus. Deinceps in rationem definiendi, diuidendi & Argumentandi.

4. Ex his omnibus Logica Docens & Vtens ſingulariter philoſophicæ ſpeculationi ſubiectæ. ſunt. Quanquam non faciunt diſtinctos habitus realiter: Vnde æqualiter extenduntur & terminis æqualibns terminãtur. Nec Logica Vtens eſt ſolus Syllogiſmus Topicus, vel ſcientiæ illæ quibus ap-

plica-

plicatur: nempe Physica, Mathematica, Metaphysica, Ethica, &c.

5. Non est incõueniens Logicã posse vocari Artẽ & Sciẽtiã: licet tutiùs vt merè vocetur Scientia, eiq; locus inter partes philosophiæ asignetur: ac dũtaxat pro Speculatiuâ habeatur: nil obstante probabilitate, vt posit esse simul Practica. & Speculatiua.

6. Obiectum adæquatum, seu ratio formalis Quæ, obiecti Logicæ: neque est syllogismus: neque Argumentatio: Demonstratio: Voces: neque operationes intellectus quâ dirigibiles; Verùm Ens Rationis Logicum in communi acceptum: materiale tamen Obiectum sunt res omnes: quanquam ratio formalis Quæ, collata sub Qua, etiam pro materiali accipitur.

7. Nefas est dicere, Logicam esse frustra: illa plurimùm conducit Intellectui, & omnibus scientijs, dispositiuè tamen non imperatiuè: diciturque necessaria necesitate non absolutâ sed conditionatâ.

Ex Entibns Rationis.

8. COncedendum eſt præter Ens Reale. Ens Rationis: non illud quod eſt ſubiectiuè, effectiuè ab Intellectu, vel per conſtructionem intranſitiuam; ſed cuius eſt Eſſe obiectiuè in intellectu.

9. Entia Rationis habent ſuam veram Eſſentiam extra nihil poſitam, atque etiam exiſtentiam: Eſſentia verò conſurgit ex potentiali & aptitudinali habitudine ad Intellectum: Exiſtentia ex actuali.

10. Ens Rationis duplex: vnum habet fundamentum in Re, aliud non habet: Illud ſubdiuiditur in Carentiam & Relationem: Carentia poſtmodum in Priuationes & Negationes: Fundamenta illorum ſunt Intrinſeca & Extrinſeca. Intrinſeca voco quæ in re ipſâ inueniuntur circa quam negotiatur Intellectus: Extrinſeca quæ non in illâ re inueniuntur circa quam negotiatur Intellectus, ſed aliundè petuntur: vt quando diſtinguimus in Deo iuſtitiam à miſeri-

cor-

cordiâ, cuius distinctionis in Deo nullum fundamentum, sed extra in creaturis.

11. Pro causâ Efficiente Entis Rationis assignatur neque sensus, neque Phantasia, neque, memoria neque voluntas, neque belluæ: sed solus Intellectus, isque non Diuinus, vel Angelicus, sed humanus: pro finali opportunitas disputandi & inueniendi scientias: pro materiali res & fundamenta à quibus resultant: pro formali, ipsa obiectiua Entitas, seu Idea, sub quâ sistunt sese Intellectui.

12. Ens Rationis est cognoscibile: & quidem per speciem sui fundamenti, si intelligas impressam: Sin verò expressam hanc habet propriam, & sibi adæquatam per quam cognoscitur.

Ex Vniuersalibus in Communi.

13. OMnes quidem res mundi sunt singulares, nec vllum datur vniuersale, separatum à parte rei: per hoc tamen non tol-

luntur vniuerſalia materialiter & formaliter accepta: quorum maxima neceſsitas eſt ad Demonſtrationes, Definitiones & Diuiſiones.

14. Vniuerſalia Eſſentiam habent non aggregatam ex vniuerſalitate & re denominata: ſed hanc quod ſint apta eſſe in multis. Illa neque Locus, Tempus per ſe concomitatur: poſſunt tamen dici corporea fundamentaliter in materialibus, in Spiritualibus ſpiritualia.

15. In quolibet Indiuiduo deprehenditur duplex vnitas Numerica & formalis, ſolâ ratione ratiocinata inter ſe diſſociatæ. Cæterum vnitas Formalis eſt duplex Generica & Specifica; quarum vnitas, Communitas, & Vniuerſalitas à ſolius intellectus beneficio promanat. Hinc ad multiplicationem Indiuiduorum multiplicantur, tanquam ipſis alligatæ, & appropriatæ. Eſt autem intellectus poſsibilis, qui per ſimplicem comparationē vniuerſalia formal:

mat: Metaphyſicum tamen Vniuerſale poteſt fieri per abſtractionem.

16. Vniuerſalia Prædicabilia ſunt Quinque, Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens: reſpectu quorum Vniuerſalitas eſt verum Genus vniuocũ: porrò vniuerſalitatis prædicabilitas eſt propria paſsio.

Ex Vniuerſalibus in Particulari.

17. GEneris natura optimè definitur, quando dicitur: Quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in eo quod quid eſt. Cuius definitionis definitum, eſt ſecunda intentio in concreto ſignificata. Huic verò Entitati ſecundæ Intentionis non ſolùm vt Quo, ſed etiam vt Quod, conuenit Definitio & Prædicatio: tum enim ſecunda intentio habet ſe vt Quo. quando natura ſubſtrata denominatiuè prædicatur & vt Quod: Cæterùm quando eſt Eſſentialis Prædicatio ſecunda Intentio habet ſe vt

Quod. Hinc ortum est dogma verissimum, nempe: quod animali seu naturæ substratæ conuenit denominatiuè depluribus speciebus prædicari: Generi autem seu secundæ Intentioni Essentialiter & Quiditatiuè.

18. Eadem secunda Intentio quando definitur in concreto, tùm eius Generis loco ponitur subiectum; vel Natura generica; quando verò definitur in abstracto Vniuersalitas.

19. Genus non potest prædicari de speciebus in quantum est contractum, & pars in compositione earum Metaphysica: hinc quandocunque prædicatur de eis necessario debet sumi vt totum potentiale: etiam differentias per quas solet diuidi non actu, sed in potentiâ continet.

20. Species in quantum subijcitur Generi, non est Vniuersalis; sed in quantum dicit respectum ad sua inferiora: hinc subijcibilitas non est aliqua passio fluens à naturâ Vniuersalis: ac proinde species æquiuo-

cè

cè prædicatur, de ſpecie Subijcibili & Prædicabili.

21. Natura ſpecifica Logicè conſiderata, non poteſt in vnico Indiuiduo conſeruari: eſto benè conſeruetur ſi Metaphyſicè vel Phyſicè accipiatur: porrò natura Generis ſumpta tam Logicè, quàm Metaphyſicè, requirit pluralitatem ſpecierum ſaltim poſsibilium.

22. Porphyrius Duas Definitiones dedit Indiuidui; quarum altera, (nempè Indiuiduum eſt, quod de vno ſolo prædicatur) conſtituit Indiuiduũ Logicum: altera Phyſicum vel Metaphyſicum. Eſt Indiuiduum duplex. Subſtantiale & Accidentale. Deinceps aliud vagum & Determinatum.

23. Diuiſio Differentiæ in Communem, Propriam, & Maximè propriam, eſt adæquata ſed Analoga: accipienda tamen eſt vnâ cum ſuis membris ſecundò intentionaliter: ex quibus vltimum, hoc conſtituit tertium Prædicabile: iam verò Differentia

Indi-

Indiuidualis continetur ſub differentiâ propria. Cæterum differentia cum Genere, non facit ſpeciei compoſitionem realem.

24. Proprium quarto modo acceptum conſtituit quartum prædicabile: cuius Diuiſio in quatuor modos eſt Analoga. Dicitur autem eſſe Vniuerſale reſpectu ſpeciei & Indiuiduorum; & differre realiter â ſubiecto.

25. Accidens non poteſt excludi à numero Vniuerſalium: habet tamen naturam Vniuerſalis per ordinem ad ſubiecta quæ accidentaliter denominat, non autem per ordinem ad inferiora. Eius hanc definitionem optimam eſſe conſtat, quando dicitur: Accidens eſt quod poteſt adeſſe & abeſſe præter ſubiecti corruptionem. Datur autem Accidentis hæc Eſſentia, nempe aptitudinalis inhærentia in ſubiecto.

Ex Anteprædicamentis.

26. PRæter Vniuoca, Æquiuoca, Denominatiua danda ſunt Analoga; eſto

ſub

ſub æquiuocis à conſilio dicantur contineri. Eſt autem triplex Analogia Inæqualitatis, attributionis, & proportionalitatis: ſola tamen Analogia proportionalitatis, nomen Analogiæ promeretur.

27. Prædicamenta accidentium ex abſtractis Phyſicè accidentibus conficiuntur; ex concretis nequaquam, niſi fortè apud Metaphyſicum: è contra Prædicamentum Subſtantiæ conſtituitur ex concretis ſubſtantiarum, ex abſtractis penitus nullâ ratione.

28. Prædicamenta proximè diſtinguuntur per diuerſos modos prædicandi, de primâ ſubſtantiâ: neque eſt neceſſe, vt inter ſeſe diſtinguantur realiter: illorum numerus eſt decenarius, quē Pythagoræi vocabant perfectiſsimum & exactiſsimum.

Ex Prædicamentis.

29. SVbſtantia in quantum abſtrahit à completâ, perfectâ, & finitâ, eſt Ge-

nus Generaliſsimum. Cæterum eius Eſſentia, non in eo quod ſubſtet, aut ſubijciatur Accidentibus,ſed in perſe exiſtere,& cohærere conſiſtit. Quando diuiditur in primam & ſecundam,hæc diuiſio eſt bona ſed Analoga: eiuſdem membra ſecundo intentionaliter accipiuntur. Eſt autem ſubſtantia per ſuam ſpeciem cognoſcibilis: quare Accidens duntaxat ex parte noſtri, eius iuuat cognitionem.

30. Quantitas realiter diſtinguitur à ſubſtantia. Formalis eius ratio eſt diuiſibilitas: Quantitatis ſpecies legitimæ ſunt, Continua & Diſcreta: Cōtinuæ ſpecies ſunt, Quinqúe Linea, Superficies, Corpus, Tempus, & Locus. Diſcretæ autem, Numerus & Oratio.

31. Qualitas eſt ſecundum quam quales eſſe dicimur. Hæc definitio licet ſit deſcriptiua retinenda tamen. Diuiditur ſufficienter in Habitum & Diſpoſitionem: in naturalem potentiam,& impotentiam: in paſ-

ſio-

ſionem & paſsibilem qualitatem: in formam & figuram. Ex iſtis quatuor ſpeciebus Habitus & Diſpoſitio, Naturalis potentia & impotentia, tam inter ſe quàm ab alijs ſpecificè diſtinguuntur. Conſequentes verò ſpecies inter ſe, iam non ſpecificè, ſed dũtaxat accidentalitèr differunt.

32. Relatio quæ conſtituit hoc prædicamentum eſt Ens Reale, tam ſecundum rationem communem accidentis, quæ vocatur In: quàm ſecundum ſpecialem & propriam, quæ vocatur Ad: Relationis non ſunt Duo genera ſed Vnum.

33. Non omnes relationes pertinent ad hoc Prædicamentum: Relationes enim Diuinæ, Tranſcendentales, relatio inhærentiæ, quam dicunt omnia prædicamenta accidentium ad ſubiectum: item relationes ſecundũ Dici, & relationes Rationis prorſus ab iſto prædicamento remouentur: exceptis ſolis relationibus, quæ purè reſpiciunt terminum.

34. Relationis tria ſunt Genera fundamentorum, ſeu rationum fundandi relationes, nempè vnitas ſeu Numerus, Actio & Paſsio, Menſura & Menſurabile: ab his autem fundamentis relationes diſtinguuntur realiter.

35. Relationes mutuæ terminantur ad relatiuum, non mutuæ ad abſolutum: illarum ſpecificatio, non ſolùm à termino, ſed etiam à fundamento petitur. Vnitas tamen generica huius Categoriæ, accipienda eſt, ex modo peculiari quo afficit ſubſtantiam, nempè ex eo, quod eam referat ad Terminum: porrò vnitas Indiuidualis & Numerica, ex ſubiecto numerico cui inhæret, accipitur.

36. Vltima Sex Prædcàmenta. non ſunt purè Denominationes extrinſecæ neq; relatiua ſecundum Eſſe: verùm ſunt Formæ quædam, & accidentia intrinſeca relicta in ſubiecto, ab aliquo extrinſeco. Cæterum Actio definitur, quod ſit forma accidentalis

lis fluens, ſecundum quam agens denominatur, agere in paſſum: paſsio verò, quod ſit forma accidentalis fluens, ſubiecto aduenieiens illata ab agente. Tandem vbi: eſt circumſcriptio corporis, à circumſcriptione loci proueniens. Quando eſt accidēs quod ex adiacentiâ temporis, in re temporali relinquitur. Situs eſt poſitio partium, & generationis ordinatio, ſecundum quam dicuntur ſtare, ſedere, &c. Habitus eſt quædam corporum, & eorum quæ circa corpus ſunt adiacentia.

37. Poſtprædicamenta ſufficienter & exactê enumerauit Ariſtoteles, cum illa poſuit eſſe Quinque, nempè Oppoſitionem, Prius, Simul, Motum, & Habere. Sunt autem Oppoſitionis Quatuor ſpecies: Contradictoria, Contraria, Priuatiua, & Relatiua: quæ Diuiſio eſt Analoga. Inter has oppoſitionis ſpecies, Contradictoria eſt maxima.

Ex Libris peri hermenias & Priorum

38. VOces id muneris habent, vt significent non solum Res, sed etiam Conceptus ad placitum. Quanquam res significant principaliter, & tanquam significatum vt Quod: id verò præstant, mediantibus conceptibus: qui res significant naturaliter. Hinc signorum necessitas arguitur; quorum alia propria & impropria: tandem propria sunt naturalia, beneplaciti & consuetudinis &c. Est autem signum, quod præter speciem quam ingerit sensibus, facit nos in cognitionem venire alterius rei.

39. Vox ad Nomen, Verbum, & Orationem non est verum Genus: sed materia in quâ hæc omnia reperiuntur: quare per signum rectiùs, vt per suum genus, licet remotum definiri possunt: nam proximum Genus illorum est signum Instrumentale ad placitum, suppositiuū & significatiuum.

 Essen-

40. Essentia Propositionis consistit in eo, quod est vnū de altero enunciare. Cum verò dicitur, quod sit oratio, verum vel falsum significans, per talem definitionem, passiones Propositionis secundum se spectatæ exprimuntur. Hinc illa conuenientior est ex lib. 1. Prior: cap. 1. nempè Propositio est Oratio, in quâ aliquid de aliquo affirmatur vel negatur.

41. Propositionis Diuisio in Affirmatiuam & Negatiuam est adæquata & Vniuoca. Eiusmodi tamen diuisio non cadit in categoricam & Hypotheticam, sed Analogica: perinde vt in Vocalem, Scriptam, & Mentalem.

42. Ratione materiæ triplex est Propositio. Necessaria, Contingēs, & Repugnans. Cæterùm Propositiones singulares futuri contingentis, habent determinatam veritatem aut falsitatem. Effectus autem contingens, quando est, non est necessarius sed adhuc contingens.

Discur-

43. Diſcurſus definitur: quod ſit motus mentis ex vnâ re in aliam propter cauſam: ad eius Eſſentiam legitimam cōſtituendam requiritur, vt ex Antecedente fiat conſequentis illatio: hinc in diſcurſu præſupponuntur plures cognitiones, non per rationem, ſed realiter diſtinctæ. Diſcurſus ſeu Argumentationis ſunt quatuor ſpecies legitimæ: Syllogiſmus, Enthymema, Exēplum, & Inductio.

44. Licet Syllogiſmus ſit oratio in quâ quibuſdam poſitis & conceſsis neceſſe eſt aliud euenire præter ea quæ poſita ſunt & conceſſa: tamen concluſio non eſt eius pars Eſſentialis. Figuræ Syllogiſmorum Tres: quarta Galeni Soritem, vel primam regulam anteprædicamentalem redolet.

Ex Libris Poſteriorum.

45 VNiuerſale pronunciatum Ariſtotelis nempè omnis doctrina & diſciplina intellectiua fit ex præexiſtenti cognitione: intel-

intelligendum est, de sola cognitione discursiuâ. Hinc ante demonstrationem requiruntur Duæ Præcognitiones, An sit & Quid. Præcognita tria subiectum. Pasio, & Principia. Circa quidem subiectum præcognoscendum est An sit: Non quidem actu existens, sed saltim posibile: & quid sit, tam quid nominis quam rei: Circa Pasionem sufficit præcognoscere. quid nominis: Circa autem Principia an sint vera.

46. Duplex apud Aristotelem deprehenditur Definitio Demonstrationis: quarum vtraque licet sit bona: secunda tamen pleniùs exprimit naturam Demonstrationis, cum docet quod debeat constare ex veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, & causis Conclusionis. Debent præterea demonstrationis præmissæ esse de omni, perse, & de Prædicato vniuersali. imò verò etiã constare ex proprijs & necessarijs.

47. Qando Demonstratio diuiditur in Demonstrationem Quia, & propter Quid:

est quidem eadem Diuisio sufficiens, sed Analoga, non Vniuoca. Habet autem Demõstratio, pro medio, solam definitionem subiecti tanquam veram & legitimam ipsius causam.

48. De rebus humanis tollere scientiam nefas est, cuius optima apud Philosophum deprehenditur definitio: nempè quod sit cognitio rei per causam & quod illius propria causa sit, & quod hoc aliter se habere non Contingat. Quam qui cum Aristotele diuiserit in subalternantem & subalternatam nequaquam errabit: Subalternata tamen à subalternante accidentali conditione differt. Vnus verò, & idem actus intellectus non potest esse simul scientia & opinio.

49. Scientiæ vnitas, atque simul distinctio, vel secundùm Genus, vel secũdum speciem, non est accipienda à solo obiecto formali in Esse rei, seu à ratione Quæ. nisi ad idem concurrat obiectum in Esse scibili: seu ratio formalis sub Qua. Quãquam hæc

peten-

petenda est ex abstractione à materiâ, si vnitas scientiæ secundùm Genus spectetur: sin verò vnitas secundùm speciem, à distinctione specificâ principiorum, intra idem obiectum in Esse scibili repertorum.

50. Præter habitum Scientiæ, dandus st habitus primorum principiorum: qui amen non est idem quod potentia intellectiua, cum ei superaddatur, sitque ab eâ distinctus. Hic verò Habitus partim est à naturâ partim nostris actionibus comparatus: nam ratione specierum, quas beneficio sensuum haurimus, est acquisitus: deinceps ratione luminis, quod est à naturâ intellectui insitum, est naturalis.

Laudetur Sanctissima Trinitas, atque Beatissima Virgo.



Sub fęlicibus auſpicijs Admodũ Rñdi & Magnifici Dñi,

D. STANISLAI PVDŁOWSKI I. V. D. & Profeſſoris, Præpoſiti S. Nicolai, Protonotarij Sedis Apoſtolicæ & Vniuerſitatis Cracouień.

RECTORIS Vigilantiſsimi.